

JOANNES SMERA POLOVECIUS

NOTITIA HISTORICA

CAVE, *Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria*, p. 509.

Joannes Smera Polovecius, natione Russus, Wladimiri regis medicus et rhetor, claruit anno 990. Inter scriptores ecclesiasticos locum habet, non quod plura post se reliquit opuscula, exstat enim non nisi epistola unica, sed ob singularem rei novitatem. Wladimirus supremus Russorum princeps, religione gentilis, Helenam, sive, ut alii vocant, Annam, Basilii et Constantini imperatorum Orientis sororem, in uxorem duxit. Qua occasione religionem Christianam amplexus est, et Russi in Græcorum ritum transferunt. Ante vero quam hæc fierent, Wladimirus, idolorum cultui adhuc deditus, in varias quædam vigebant religiones inquirere cœpit, missis indequaque hanc in rem exploratoribus. Instantius Mahumetanis, illorum cultum velut sædum turpemque contemptui habuit. In Græcorum religionem propendebat. Quo vero tutius procederet, misit Johannem nostrum qui varias regiones peragraret, et de omnibus certiores faceret. Peragrata itaque Pannonia, Servia, Bulgaria, Mysia, magnoque Græcorum imperio, Antiochia, Hierosolymis, tandem devenit in Egyptum, et Alexandria diu commoratus est, sacro lavacro ibi initiatus. Ex hac urbe litteras ad Wladimirum dedit, quibus eum de variis

religionis cultoribus certiores reddidit. In Græcorum mores et instituta acrius invehitur, eorumque ruinam et exitium ob idololatriam, hypocrisin, superbiam, crudelitatem aliaque vitia prædicit; ultimamque gentem Judaicam ad doctrinam Christi convertendam. Claudis litteras his Wladimirum verbis. *Ideoque, o rex, non licet tibi suscipere mores et religionem Græcam. Sin vero eam susceperis, ego ad te nunquam proficiscar, sed hic obdormiens judicium Filii Dei exspectabo.* Scripsit hanc epistolam lingua Bulgaricâ, in tabulis æreis, litteris ferreis. Tabulæ in monasterio Salvatoris Præmissiensi, non procul a veteri Sambore, delituerunt ad annum usque 1567, quo Andreas Kolodynsky, Russorum diaconus, eas in sermonem Russicum et Polonicum transtulit. Ex Polonico, an. 1677, Latine vertit Benedictus Wissowatius. Versionem ejus in lucem protulit Sandius in *Append. ad Hist. Eccles.*, p. 61. Exinde Andreas Wengerscius in *Append. ad Hist. Eccles. provinc. Sclavon.*, p. 499. Non parvam huic epistolæ lucem affundunt Miechowita *Hist. Polon.* lib. II, cap. 3, fol. 990. Cromerus *De Orig. et rebus gestis Polon.* lib. III, p. 31, ut alios mittam.

SMERÆ POLOVECII

EPISTOLA

AD WLADIMIRUM RUSSORUM REGEM

(SANDIUS, *Append. ad Historiam ecclesiasticam*, p. 61.)

APOGRAPHUM EPISTOLÆ

Quam scripsit explorator seu nuntius Wladimiri, supremi Russorum principis, Alexandria Aegyptiaca, circa annum 990, tempore quo Russia nondum baptismum suscepisset; quæ translata est ex scriptis antiquæ doctrinæ Russorum, per Andream Kolodynsky a Witepsko, in hodiernum scriptum, e lingua Bulgarica, e tabulis æreis inventis in monasterio Salvatoris, terræ Præmissiensi, non procul a veteri Sambore, ubi celeris dux Leo situs est, anno 1567. Postea vero idem Andreas transtulit eam e Bulgarico scripto in Polonicam linguam. Dictam epistolam ex ms. codice Polonico I Ryniowicii Trembecii a se verbotenus latine redditam eam communicavit Benedictus Wissowatius, filius Andreæ Wissowatii, ut sequitur:

Potentissime rex Wladimire, inclyte heros, domine mi chare, hæreditarie dominator regionum Slavonicarum, post ædificationem turris propagandarum e generatione Japhet, Deus vivus omnipotens

et solus sapiens regat te sicut ipse scit, in potentia et potestate, ad multos annos.

Hodie scias a me, rex, fletus mihi semper obortur cum suspirio, quod me ablegaveris in regiones